

studio. Nam ita et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent. In ipsos denique coetus scholarum laeti et alacres convenient, emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint charissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum praebere se dociles. Alioqui neutrum sine altero sufficit. Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, et frustra sparseris semina, nisi illa praemollitus foverit sulcus: ita eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis, accipientisque concordia.

Senec. Epist. CVIII. Nro. 1—8. Scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te video, dirigenda sit, ne ipsa se impedit. Nec passim carpenda sunt, nec avide invadenda universa: per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus debet; nec plus occupari, quam cui sufficere possumus. Non quantum vis, sed quantum capis, hauriendum est; bonum tantum habe animum: capies, quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc se magis laxat. Haec nobis praecipere Attalum memini, quum scholam ejus ob sideremus, et primi veniremus, et novissimi exiremus, ambulantem quoque illum ad aliquas disputationes evocaremus, non tantum paratum dissentibus, sed obvium. Idem, inquit, et docenti, et dissentientibus debet esse propositum: ut ille prodesse velit, hic proficere. Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat; aut sanior domum redeat, aut sanabilior. Redibit autem: ea enim philosophiae vis est, ut non solum studentes, sed etiam conversantes juvet. Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in unguentaria taberna resederunt, et paullo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt; et qui apud philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quae prodesset etiam negligentibus. Attende, quid dicam: negligentibus, non repugnantibus. Quid ergo? non novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint? Quidni noverim? pertina-